

1449

P O L E M I C I.

1450

dum erat mortificatum, sed hac nocte tradi debuit, et interdiu morte affici, mortale, in Virgine conceptum de Spiritu sancto, sumi, et manducari, dum Panis iste porrigitur, simul hoc tale Corpus per fidem dictis Verbis dominicis: *Hoc est Corpus meum* &c. Tractat dein septem Causas institutionis hujus Sacramenti, totidemque Necessaria ad dignam ejus perceptionem, et concludit formula, quam latine damus: *Finitum in querimonia vitae et mortis, die XXI. mensis Aprilis: et inchoatum circa diem XXIII. mensis Martii. Anno Domini 1562. Est et correctum.* Libellum ab Homine, quocum et *Jesuitae* et *Utraquistae* incassum egerunt, aut *Pragae*, aut *Bürglicii* in liberiore custodia scriptum fuisse colligo. Commendatur ille a stilo simplici, terso et correcto, quae vulgo Scriptorum hujus Sectae laus est, observaturque in Codice nostro *L* molle peculiari forma extrorsum uncatō apice ab *L* duro distingui. Involucrum, quo tegitur, Fragmentum latini Tractatus de *Fide et Poenitentia* est, atque, ut mihi videtur, profectum ab eadem manu, quae facile ipsius fit *Augustae*.

DCXXVII.

R. 1284 Codex chartaceus boh. Sec. XVI. Folior. 143. 8. currente calamo fat nitide scriptus titulum praefert: *Pisně Bratra Jana Augusty Kteréz Délal vvězenj*, id est: *Cantica Fratris Jobannis Au-*

*gustae, quae fecit in carcere.* Dixi jam aliquid Cod. praeced. de isto Fratrum *Bob.* seu *Moravorum* Antistite, cujus Vita et Scripta recensentur in *Abbildung. Böhm. und Mähr. Gelehr.* P. II. Prag. 1775. p. 67. 8. ubi tamen Cantilenarum praesentium nulla peculiaris memoria. Agunt eae de praecipuis Religionis christianae Capitibus, adjectis saepe Notis musicis, et duas Partes constituunt praepostere, si tempus scriptionis spectes, in Codice compactas. Nam *Pars* II. ut habetur in calce, scripta est 1562. a 6. ad 24. *Junii*, *Pars* vero I. finita dicitur eodem anno 27. *Julii*, quo die, ut additur, *D. Catharina Sternbergia* cum *D. Philippina* fortasse filia *Praga Hradecium* venit. Tò *Hradek* arcem *Bürgliciam*, captivitatis *Augustae* locum, innuere videtur, quae alias *Krzivoklad* adpellatur.

DCXXVIII.

Codex chartaceus boh. Sec. R. 1221 XVII. Folior. 180. 4. prius Collegii S. J. *Viennae* Titulum praefert: *Retunkb Proti Antykrystu a Swodum gebo Kteryž wzarmuczenych Tiechto časých mnohym kzabínutj neszlastne se rozmabagi, a negednech od Wryry odstupuwanj se dege.* &c. Quasi dicas: *Consilium eripiendi* (germ. *Rettung*) contra Antichristum et seductiones ejus, quae tristibus hisce temporibus (*Ferdinandi* I. ut videtur) in multorum interitum tam infeliciter augentur, ut nonnulli a fide recedant.